



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

LVII. Daniel Elector XLI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

## LVII. DANIEL ELECTOR XLI.

**D**anielis Electoris Moguntini præstantissimi gesta brevi compendio conscripta qui desiderat, is monumentum à Danielis Successore scriptum legat, quod ita habet:

*Daniel Dei gratiâ Archiepiscopus Moguntinensis S. R. I. per Germaniam Archicancellarius, Princeps Elector, & è nobili familia Brendel ab Homperg an 1555. ætatis 33. electus, Ecclesiam annis 27. optime pacificeque rexit, haud paucis emolumentis auxit atque ampliavit: iustitiam coluit, religionem promovit, charus omnibus extitit. Duos Imperatores Maximilianum II. & Rudolphum II. coronavit. Inculpate vixit, Sacramentis Catholicè perceptis, piè placideque quievit, desiderium sui luctumque cunctis reliquit. Obiit A-schaffenburgi an 1582. 22 Martij. C. A. R. I. P. Successor Prædecessori bene merito posuit.*

His adde Roberti Turneri natione Angli Oratoris disertissimi & eruditissimi brevem synopsin, qua Moguntia transiens depinxit Archiepiscopi Danielis mores: Homo est Archiepiscopus iis moribus, quibus deberes fingere Principem. Princeps est ea facilitate, qua cuperes formare hominem, ut possit dici & homo Platonis, qualem solum antiquitas putabat Socratem; & princeps Aristotelis, qualem semper omnis Respublica optabat Rectorem. Cui loquuntur senem, firmæ vires juvenem. Hujus speciei nome vides laudem? & cano colore maiestatem Archiepiscopi. & firma vi onus Principis sustinet egregiè. Religionis suffulciendæ, confirmandæ quo studio teneatur, abundè satis inducat templum à fundamento non ita pridem erectum, & eleganti opere, vario labore, imagine rara peregregiè expositum. Ambrosii videor maiestatem exprimere, atque adeò Ambrosij jam tonantis in Theodosium. Magis crederes, si his addas ejus humanitatem, amorem; quippe sic excepit Bavaros, sic amavit Catholicos, ut quòd tanta suavitate exceperit hospitalis; quòd tanto studio amavit, Pij non solum meritis sit nomen, sed etiam vicerit notionem.

Singulos ferè apices hoc compendio contentos multâs paginâs profecutus est Serarius. Compendium etiam hoc loco sufficiat: addere simul sit satis verba Danielis precatorio libello, & tabulæ constanter oculis patienti inserta:

- |                        |                                |
|------------------------|--------------------------------|
| 1. Vita brevis.        | 6. Victoria anceps.            |
| 2. Forma decipiens.    | 7. Concordia fallax.           |
| 3. Pecuniæ fluxæ.      | 8. Senectus misera.            |
| 4. Imperium invisum.   | 9. Mors felicitas.             |
| 5. Bellum perniciosum. | 10. Sapientiæ sancta perennis. |

Summa

Summa Moguntinae Ecclesiae felicitate sedit an. 27. mortuus an. 1582. Ecclesiam gubernarunt ea aetate Pontifices Marcellus II. Paulus IV. Pius IV. D. Pius V. & Gregorius XIII.

LVIII. WOLFGANGVS ELECTOR XLII.

**W**OLfgangus in Vangionibus & Nemetibus antiquo Camerariorum, aliis Dalbergorum, stemmate ortus, in Spirensi simul & Moguntina aede principe eminuit Canonicus, ac lapsa tempore utrobique Praepositus. Lectus denique Archipraeful, dum Canonicorum alij Julium Herpipolensem Episcopum judicarent postulandum, insigne tulit enconium, Julium & ipse sibi longè anteferendum clamitans. Mox dein Augustam ad Comitia Imperij publica vocatus, causam geminam eamque perdifficilem iuvit discutere, quarum altera Heterodoxorum querelas, altera Gebhardi Archiepiscopi quondam Colonienfis ad Lutheranorum connubia veriùs, quàm religionem transfugium spectabat. Sebastiani & Danielis Antecessorum suorum vestigiis gnaviter insistendum ratus, infectos novitatibus libros procul Catholicorum oculis removeri mandavit, non alia de re locutus jucundius, quàm de reductione in errores lapsorum, quibus & ipse succurrit consiliis & auxiliis potentissimus. Praebuit ea res ansam Calvini & Lutheri asseclis, rumore & libellis infamibus proscindendi Societatem Jesu, à Sebastiano, Daniele & Wolfgango maximi habitam, quod horum ultimus ostendit maximopere, testimoniis publicis adversariorum commenta refellens, & Virorum Principum auxilia ea super re implorans. Unde ad Regem Poloniae etiam dedit literas ob commentum Provinciae Societatis Polonicae irrogatum à Germanis Calvinianis. Inter maximi nominis principes, quos eo tempore Moguntia fuit venerata, fuerunt Philippus & Ferdinandus Guilielmi Ducis Bavari filius uterque, magna Wolfgangi voluptate in Atheneo Societatis publico virtutibus